UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

§.13. Infirmitas hæc non est ad mortem. Accidunt aduesitates & clades diuina dispositione ad eius gloriam nostrumq[ue] commodum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53104

Visual Library

ad quod ipſe teneatur. Prædicit Dominus Abrahæ iam proficiſcor vrbes illas deleturus immūdas in quibus tibi nepos Lot moratur cū vxore & filiabus: vt autem ab eo Abraham impetraret, quatenus illis miſereretur nihil ex parte eorum Deo proponit, ſed nec ex ſua quidem, & nonniſi illud, quod diuinæ cenſebat imputandum bonitati, quocirca reſpondet illi; ô Domine hoc tuam dedecet omnino bonitatem, non tibi conuenit æquali mulctare ſupplicio vt noxios ita inno-
Gen.17.25 xios: *Abſit à te vt rem hanc facias & occidas iuſtum cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius non eſt hoc tuum.*

X. Similiter & Moyſes. Deus populi ſui refractarij concitatus idololatria Moyſi commotius loquitur: radicitus euellam illos O Domine replicat Moyſes, hoc tuo non parū honori derogat: etenim dicent Ægyptij, eo quod illos alere non potueris, idcirco in
Exo.32.12 montibus eos occideris: *Ne quæſo dicant Ægyptij; callide eduxit eos &c.* Quando ad tantum Deum prouocarunt iram, vt iam eos dira peſte ferire
Num. 14. 12. decreuiſſet; *Feriam eos peſtilentia, & conſumam eos.* Iterum accurrit Moyſes aitque: Domine mi non ſic agendum: agitur enim de honore tuo, & in proprij nominis tui gloriam neceſſe eſt populum hunc à te conſeruari: cum illum in tuam ſuſceperis protectionem: *Ne audiant Ægypti de quorum medio eduxiſti populum iſtum &c. & dicant; non poterat introducere populum in terrā, pro qua iurauerat: idcirco occidit eos in ſolitudine; magnificetur ergo fortitudo Domini.*

XI. Nec non Ioſue. Hanc eandem orādi praxim ſeruauit Ioſue: vt enim vidit hoſtes inſignem de populo illo referre victoriā ad Deū ſupplex confugit: heu Domine mi, quid cæteræ dicent nationes? Huius in te populi ſuſcepiſti defenſionem, illū tibi vt tuum ſelegiſti, & te eius teſtatus es eſſe protectorem, manifeſtū eſt, quòd illi, qui viderint quòd illi minimè afflicto ſubueneris, graues contra te deponent querimonias obganníentes: ecce quis iſte Deus quis iſte Plebis amicus, qui ſuos ſic deſerit auxilio deſtitutos, quos in tutelam acceperat protegendos: *Mi*
Ioſue 7.8. *Domine quid facies magno nomini tuo?*

Hæc eſt illa harum mulierum prudentia, quæ fratris ſui remediū optātes, illud Chriſti Domini imponunt ſolicitudini. Domine Lazarum tibi amicum elegiſti, eius qui verè talis eſt, muneri incumbit amici ſui ſubuenire neceſſitati. Hoc
D.Avgvs. Tract. 49. in Ioan. Tom 9. eſt (ait D.Auguſtinus) in quo confiſæ ſunt: *Amanti tantummodo nuntiandum fuit; ſufficit vt noueris non enim amas & deſeris.* Non tuus, Domine, amor amicorum mundi comparandus

XII. Dei amor amori, qui tempore ſolummodo feruent proſperitatis, oborta verò contrarietate ſeu aduerſa fortuna terga vertunt incōſtantes. Expreſſit hoc D. Petrus Chryſol. verbo admodum ſignificatiuo: *Chriſti affectum pulſant & conueniunt charitatem. Conuenire* dicitur quotieſcumque quis alteri diem dicit in iudicio, debitam expoſtulans eius obligationem ab illo. Repoſcis vt aliquis faciat, quod ſui eſt muneris: non agit: Citas eum coram iudice demonſtrans ad hoc ipſum obſtringi. Hoc ipſum vi video matronæ hæ faciūt: *Conueniunt Chriſti charitatem.* Verus tenetur amor amico neceſſitate laboranti ſubuenire: *Amor operatur magna ſi eſt ſi autem operari renuit, amor non eſt* ait D.Greg. Domine mi, amor tuus abſit vt fictus ſit, qualis eſt terrenus, qui ſolis nouit ſeruire amici proſperitatibus; ſed verus eſt; proinde eo ipſo ad illum ſpectat amico adeſſe laboranti. Habes hic modum orandi tuis in anguſtiis eminentiorem, illas diuinæ committe obligationi; quoad tuam verò, vix aliquid inuenies; quod eius poſſit pectus excitare, Domine ſeruo tuo ſubueni, quem ſanguinis tui litro de poteſtate Satanæ redemiſti: hanc etenim crudelis hic inimicus ad mortem perſequitur; mihi proſpice, ecce me, quem ex tua miſericordia tuus dilexit amor, quem vt inquireres velut paſtor cœleſtis, de cœlo deſcendiſti, mea attende diuerticula, meæ miſerere perditionis; *Erraui ſicut ouis,* Pſ.118.
*quæ periit, quære ſeruum tuum Domine. Ecce,* Domi 176.
ne Palmitem, quem gratiæ tuæ beneplacito in Eccleſiæ tuæ vinea plantaſti; illum tuarum rigatore miſericordiarum, *Ecce* cui vitam largitus es, vt tibi ſeruiret, ſed ad hoc deficiunt mihi vires & incolumitas: *Ecce*, quem in huius mundi domo ſtatuiſti vt creaturam tuam, fame pereuntem & inopia.

non eſt mūdanus ſeruiens auræ
D.Pet. Chryso. Serm.63.
D.Greg.

## §.13. Infirmitas hæc non eſt ad mortem.

*Accidunt aduerſitates & clades diuina diſpoſitione ad eius gloriam noſtrumq́ commodum.*

A*Vdiens autem Ieſus dixit eis: infirmitas hæc* 38
*non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* Expendit hic Theophil. in Ioannem, ab Euangeliſta dici in plurali: *Dixit eis*: videlicet per quos nuntium miſerant: Credit enim vnum non fuiſſe, ſed plures quos matronæ illæ vt vrbanæ, Chriſto nuntios deſtinarunt. D.Chryſoſto. refert ad ſorores Ho.61.in
quibus Dominus reſpondebat. Accepto hoc Ioan.
nuntio & audita legatione reſpondet Chriſtus



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vultu compoſito,amico,placidoq; his denuncia-te matronis, vt bono animo ſint: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem,ſed pro gloria Dei,vt glorificetur filius Dei per eam,* quale hoc eſt,Domine mi,reſponſum ? in ſacro tuo eloquio illa dicitur infirmitas ad mortem,quæ adeo mortalis eſt,vt cõſideratis naturæ viribus,is qui illa laborat emori debeat:ſic de rege dicitur Ezechia: *Infirmatus eſt ad mortem.* An ergo ignoras infirmitatem hanc ita mortalem eſſe vt ex ea Lazarus realiter ſit moriturus?quomodo ergo replicas: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem?* An ergo te conſolatoribus huius mundi vanis comparabo,qui hoc vt primũ habent quo leniant infirmũ, verbum conſolationis:quid hoc Domine? nullius eſt hæc infirmitas periculi. Heu quoties tales infirmum mergunt in interitum,qui ſpe illa vana quam illi ſuggerunt, animæ ſuæ omnem deſerit ſolicitudinem, quem mors ad illum hinc abripit indiſpoſitum: ſimiles illis conſolatoribus falſis , quos arguit Hieremias:de quibus peramplè loquitur , quos ruinæ Hieruſalem eſſe cauſam inſimulat dum enim Dominus hoſtes mitteret,vt eorum effrænes coerceret diſſolutiones , prodibant hi dicebantque : nihil timendum parvæ ſunt vires inimicorum,ſolo ſubſidio quod ab Ægypto poſtulemus,omnes illorum vires eneruabimus,ſuperbiamque humiliabimus, quibus dum vrbs Hieruſalem fidem adhiberet , non ſe præ muniuit , non ſibi conſulit vt ſe defenderet ; quapropter hoſtium eſt tradita poteſtati: *Propheta tui viderunt tibi falſa,& ſtulta , nec aperiebant iniquitatem tuam,vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Heu quantum tibi intulere damnum prophetæ tales , etenim quando tua te premere cœpit tribulatio , obiiciebant , nihil eſſe timendum , qui conſulere tibi debuiſſent , vt tibi proſpiceres , atque intelligeres in tantas te à Deo adductum anguſtias , in iuſtum tuorum criminum ſupplicium , atque expedire præ cæteris vt veram ageres tuis de ſceleribus pœnitentiam

4.Reg.20.

I. Eos arguit qui letales morbos parui faciunt vt animæ cura negligatur.

Thre.2.14

II. Quænam ſit infirmitas nõ ad mortẽ.

Optimè reſpondet Dominus,non ait: *Infirmitas hæc non eſt vſque ad mortem* ; ſed ; *non eſt ad mortem:* Quaſi dicat , quòd hanc Deus permittens infirmitatem vt finem,non intenderit mortem Lazari, ſed eius vitam , quam ei Dominus eſſet reparaturus , eũ pro gloria ſua reſuſcitando. Non malè dicit medicus potionem præſcribens medicam,non eam illo fine dari vt infirmo os amaricetur,non quòd in rei veritate hoc futurum non ſit,ſed quòd eo fine,vt amarum reddat , non ordinauerit ſed vt priſtinam & optatam æger recuperet valetudinem.

III. Similitudo.

Hoc Diuus Chryſoſtomus ex diuina declarat conſuetudine. Multiplicem promittit Deus Abrahæ poſteritatem ex filio ſuo Iſaac dum autem eam auidus exſpectat Patriarcha , præcipit illi,vt eundem ipſe filium Pater carnifex interficiat. Domine an hæc conueniunt iuſſa promiſſis? vtique, ſi namque illum iugulari præcipiam, non hoc ea facio intentione,vt maneat interfectus , ſed vt per illam fidelem Patris obedientiam , atque in eius præmium , promiſſum illi verbum perfectiſſimè compleam. Quocirca ſic illi iureiurando confirmat : *Quia feciſti hanc rem &c.* Regnum promittit Ioſeph, quem tamen diſtrahi in ſeruum,vinculiſque patitur conſtringi,quid hoc? quæ conuentio regni cum ſeruitute,& monarchiæ cum ergaſtulo? non illum deſeruit vt ſeruus maneret & mancipium , ſed vt illo interueniente medio,ad regni habenas,moderandas aſcenderet , ſicut de facto aſcendit. Sic eſt illud quod modo dixit admodum conforme illi , quod ait Diuus Irenæus diſputans , cur Deus permiſerit,imo ſtatuerit vt à Ceto Ionas viuus abſorberetur: *Suſtinuit abſorberi Ionam à Ceto , non vt abſorberetur & in totum periret, ſed vt euomitus magis ſubigeretur Deo , & plus glorificaret Deum , qui inſperabilem ſalutem ei donaſſet & firmam pœnitentiam faceret Niniuitis vt conuerterentur ad Dominum , conterritis ab eo ſigno &c.* Notat autem præfatus ſanctus , id quod eius ſcholiaſtes Pamelius ait communi Hebræorum circumferri traditione Ionam indicaſſe miraculum Niniuitis,quod ſibi contigerat,qua ratione Deus permiſiſſet,vt à Balena viuus abſorberetur, quatenus tanto perterriti prodigio crederent , & ad frugem correcti meliorem conuerterentur.

Lib.1.de prouid.

IV. Probatur in Abraham & Ioſeph & Iona.

D. Iren. L.3.cont. hæreſ.c.22

Hic addiſce, quòd Dominus ait infirmitatem hanc non eſſe ad mortem : quamuis enim permittat Lazarum à morte,velut à ceto, degluttiri non erit, vt in eius ventre ſeu ſepulchro abſorptus interiret,non vt abſorberetur & periret, ſed vt plus glorificaret Deum, quatenus ipſe & quicumque illum viderent ; Deum in mirabilibus ſuis honorarent,ſic declarat Diuus Auguſtinus: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem , quia & ipſa mors non erat ad mortem ſed potius ad miraculum,quo facto crederent homines in Chriſtum,* nec aliter factum credimus : ſiquidem in omnibus operibus quæ fecit Chriſtus in clariſſimum ſuæ diuinitatis argumentum ; hoc cæteris Palmam eripit:ita vt eo patrato in eum crediderint, fueritque ipſe adeo glorificatus,vt illum velut Re-

D.Avgv. Tract.48. in Ioann. Tom.9.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gem ac Meſſiam Dominica Palmarum tanta pompa.& gloria ſuſceperint, vt poſtmodum videbimus.

☞ 37 *Tract. 48. circa & ſer. 104. de tempo.* Ex his elicit D. Auguſtin. quod etiam expendunt Abbas Rupertus & D. Thomas in hunc locum: caſus omnes aduerſos, quos iuſti patiuntur: nempe paupertatem, ægritudinem, perſecutionẽ, damna, mortem, non caſu contingere, nec ea mente, vt infirmi decumbant, pauperes ſint, imo etiam moriantur ſed hæc omnia à Deo permitti ad nominis ſui gloriam eorumque glorificationem. Admittunt omnes regulam Sancti Gregorij, qua notat, quòd Chriſtus Dominus aliquoties per ſeipſum quaſdam parabolas & euentus dignatus eſt explicare, vt nos inſtrueret, moueretque eo modo, quo ipſe illos explicauit, nos ipſi eos in ſimilibus intelligeremus: idcirco tam apertè dicere voluit infirmitatis amici ſui Lazari rationem: vt hinc rationem addiſcas ſimilium, quas aliis contigiſſe notaueris.

V. Nulli ſiniſtri caſus accidunt fortuito.

VI. Omnia Deo ſic diſponente contingunt.

Vt certiſſimam regulam ſtatuit Deus per Prophetã Amos quaſlibet aduerſitates, dolores, ægritudines & in hoc mundo mortes, nõ caſu cõtingere fortuito, ſed ratione ab eo præſtituta: ratio eſt eo quod nihil eorum ſine diuina eueniat diſpoſitione, aut diuinam eius fugiat prouidentiam: *Si eſt malum in ciuitate quod Dominus non fecerit.* Ne credideris famem ex ſeipſa oriri: Deus eſt, qui mittit illam: *Vocauit famem ſuper terram*, nec peſtilentiã, nec cladem: has enim diſponit Deus, ſed nec tẽ-

*Pſ. 148. 8.* peſtates, nec incendia, nec diluuia: ſiquidẽ hæc omnia diuino præcepto peraguntur: *Ignis, grando, nix glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciũt verbum eius.* Itaque ſi ſæuior exurgat tempeſtas, quæ nauim tuã ad ima deprimat, hoc illi Deus præcepit; ſi ignis domum tuã incendat ſi pruina arborum fructus decoquat, ſi febris, ſi mors interimat: hæc omnia contingunt: quia Dominus illis præcepit: *Faciunt verbum eius*: præter cuius voluntatem nec minimus paſſerculus perculſus aut mortuus decidit in terram: *Nec vnus eorum cadet in terram ſine Patre veſtro.* Igitur nõ ſtulta Deus operatur prouidentia: aut nullo ſibi præſtituto fine: ſed omnia diſponit vt prudentiſſimus: in omnibus enim quæ agit certum ſibi finem præſtituit, idcirco canit Proph. Habacuc:

*Habac. 3. 11.* *In lumine iacula tua ibunt.* Sic legit D. Gregori. quod noſtra vulgata habet: *In luce ſagittarũ tuarum ibunt.* Non cæco ferit impetu; (a) idcirco per prophetam ſuum Ezechielem declarans appoſitè hanc doctrinam, iudicia ſua vocat ea multa quæ in hoc mundo tolerãtur, quæ ad quatuor reuocat ſpecies, bellum, quod vocat gladium, fa-

*(a) No das palos de ciego.*

mem, beſtias malas, quales intelligit locuſtas, bruchos, erucas, & peſtem; *Quod & ſi quatuor* VII.
*iudicia mea peſſima, gladium, famem, ac beſtias* Aduerſa
*malas, & peſtilentias immiſero;* Vocat hæc *Iudicia* vocat
*mea*, ob rationem quam ibidẽ declarat D. Greg. Deus iu-
ſicut enim iudicium ſententia eſt quæ datur ex dicia ſua.
conſilio & cognitione cauſarum; attentis omni- *L. 30. mor.*
bus huius & illius circumſtantiis, ſic ſunt iſtæ *c. 3. & ho.*
calamitates, non enim illas Deus euenire pati- *5. in Ezec.*
tur niſi præhabito Diuino ſuo conſilio, quo per- *circa finẽ.*
pendit quid ſit, quod tibi conueniat, ſimiliter & *Ezech. 14.*
illi: & facta reſolutione, quòd tibi podagra con- *21.*
ueniat, illi colica, huic paupertas, alteri febris, &
alij mors.

Hoc diligenter expoſuit Iob amicus illius, dũ illum audit grauiter expoſtulantem, ob graues quas patiebatur aduerſitates, bona, filios, ſalutemque perditam, malorum omnium ipſe factus hoſpitale, eiectus ad ſterquilinium, illique ait; amice mi chariſſime Iob: hoc velim perpendas;
aduerſa hæc caſu non accidiſſe fortuito: Deus VIII.
etenim tibi hæc permiſit, qui nec aduerſitatem Nihil ſi-
vllam non præfixa ratione ſinit euenire: *Nihil in* ne cauſa
*terra ſine cauſa ſit, & de humo non orietur dolor,* ſit.
ne animum induxerit, Deum in huius mundi *Iob 5. 6.*
regimine conferendum operatio in regimine horti ſui: multæ etenim pullulant herbæ perniciosæ, & ſpinæ de terra illo neſcio, imo eius repugnante voluntate. Nulla naſcitur in hoc mũno ſpina, nullus tribulus, qui diuinæ non ſubſit diſpoſitioni, ac regimini, ſed nec vllus oritur niſi eius ordine præcurrente. Et indubium eſt, nihil Deum agere irrationabiliter. Fortiſſima illa Iudith quædam protulit verba, quibus profundam inſerit Philoſophiam, quam nec mundi ſapientiſſimi capere potuerunt, qua de cauſa à Diuo Ambroſio inſcribitur ſapientiſſima: ipſos etenim ſacerdotes ipſa mulier inſtruxit: *Tu feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti, & hoc factum* *Iudith. 9. 4.*
*eſt, quod ipſe voluiſti: omnes enim viæ tuæ paratæ ſunt, & tua iudicia in tua prouidentia poſuiſti:* Quid vis ô Domina & ſapientia & elegantia commendabilis, quòd Deus illa poſt illa cogitet? an forſitan Deus formatis diſcurſibus noſtro modo vnum intelligit ex altero? non eſt mens mulieris huius ſapientiſſimæ ſucceſſum quendam in Dei cogitationibus, ſed in rebus ipſis ſtatuere: omnia enim videt & diſponit et nunctim: quia Deus non exſpectat, ſicut vos, vnius rei ſucceſſum vt aliam ſtatuat: omnia diſpoſuit, hoc propter illud, & illud propter hoc: omnia diuina eius prouidentia ad ſuos fines deſtinauit particulares.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

40 Li.4. de pœnit. c.4.

IX. Tribulationes mittit Deus in peccatorum ſalutem.

Ex his argumentatur eleganter D. Ambroſ. monens homines flagitioſos, vt nouerint accidentes ſibi calamitates, cauſam habere ſingularem, eo quod Deus ſit, qui illas permittit, & cum artifex ſit ſapientiſſimus, ac ſine ratione nihil operetur, ſuam ipſe habet rationem, quando illas immittit: nempe, quòd tuam quærat & intendat ſalutem, pœnitentiam, & peccati renuntiationem. Appoſitè quædam perpendit verba Vatis Hieremiæ calamitates & grauiſſimas deplorantis aduerſitates, quibus vrbs Hieruſalem oppreſſa perijt. Audiuit propheta hoc quod illi & illi in captiuitatem eiecti, pœniſque contriti circa

X. Fruſtra cauſis adſcribuntur alijs.

hæc ſermocinarentur, ſed imprudenter admodum, & inconſideratè; dicebat hic hæc omnia nobis ex ſuperbia Nabuchodonoſor non tolerande obuenerunt, qui nos ſibi ſubijcere in ſeruos ambiebat: dicebat alius: noſtram in his arguamus negligentiam, qui contra eius incurſus nos præmunire, & defendere contempſimus: alius autem: hæc nos oppreſſit calamitas, eo quod ſuo nos Rex Ægypti auxilio deſtituerit, & nullus eorum ſibi hoc perſuadebat ex diuina hæc omnia contigiſſe diſpoſitione, ſic enim argumentabantur: qui fieri poteſt, vt cum ſimus populus Dei, tanta nobis ille miſerit incomoda? adeſt propheta, omnes grauiter arguens & ac-

Thren.3. 37.

cuſans vt blaſphemos: *Quis eſt iſte, qui dixit, vt fieret Domino non iubente? ex ore Altiſſimi non egredientur bona nec mala.* Quis eſt ille iudicij ſic impos, vt dicat, aduerſitates illas, opera non eſſe Altiſſimi: quis eſt ille imprudens, qui audeat dicere, Domino non iubente, ſuâ hæc omnia ſponte eueniſſe. O blaſphemiam execrandam, ſi quis dixerit per hoc ſiue per illud, & non ex diuina hæc proceſſiſſe diſpoſitione: igitur dic nobis Propheta Sanctiſſime: fierine poteſt, vt Deus tam inclementer nos populum ſuum electum excipiat? nonnè Deo proprium eſt ſuos præuenire beneficijs, ſuos defendere, ſuis auxiliari? nonnè Deum vitæ, ſalutis, libertatis opumque auctorem agnoſcimus? qua igitur ratione, ipſe nos afflixit captiuitate, paupertate, moleſtis anxietatibus cladibuſque triſtiſſimis? ne animum induxeris, quòd his te cruciet aduerſitatibus, vt cruciet: nequaquam: nihilominus intendit: ſed vt tibi oculos per pœnas aperiat, ad teipſum te conuertat, illoſque excitet flagello dormientem: *Non humiliauit ex corde ſuo & abiecit filios homi-*

XI. Nec aliã nouit Deus.

*num, vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ: vt declinaret iudicium viri in conſpectu vultus Altiſſimi, vt perverteret in iudicio ſuo Dominus ignorauit.* Hocne creditis, quòd peccatores, quos filios appellat hominum, viſitet aduerſitatibus ex naturali ſua conditione vel recreatione, vel quòd ad ſui ipſius voluptatem vos de terra veſtra eiecerit in ſeruitutem hanc ignominioſam? *Non humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum:* Nullus eſt Pater qui tantopere dolet, quando flagris filium ſuum cædit, illum cernens lacrymis obrutum: non illum caſtigat, vt caſtiget, ſed coactus vt corrigat. An creditis, quòd Deus hoc intenderit, dum hæc ſic eſſe voluit, vt vos Nabuchodonoſor contereret, catenisque vinctos abduceret; *Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ*: Vt hæc in veſtrum cederent detrimentum? *Dominus ignorauit.* Numquam tale quid nouit agere Deus: quid igitur intendit? vt derelicto peruerſo itinere dextrum ingredereris: *Vt iudicium eius declinent, & vitia relinquant*: ait Diuus Ambroſius. D. Ambr. Tom.4.

XII. Hæc prophetæ verba nobis applicemus.

O quàm appoſitè hæc eadem nobis Propheta verba proponeret: quales facitis diſcurſus, quando nos malum aliquod apprehendit, ſiue bonorum iactura, ſiue corporis infirmitas: Domine offendi & cecidi, & vulneratus ſum, ego ait alter à pruina mihi non caui, vel nimium contraxi frigus: quia mei curam habui negligentem, ſic loqueris, hæc me inuenit perſecutio. Caſu fortuito lapis decidit, fumarium apprehendit ignis, & domus mea concremata eſt; neque non leuiter vlcerauit: medicus ſuo munere non debitè functus eſt &c. O vos imprudentes, *Quis eſt iſte qui dixit vt fieret, Domino non iubente?* Quis eſt ille ſtultus, qui ad primam non recurrit continuò radicem; videtur enim hæc ita conſiderare, quaſi tale damnum accidiſſet Deo non præcipiente, imo & ignorante? O chariſſime ab illa parte tibi venit infirmitas quam pateris, iſta iactura quæ te affligit, iſta calamitas, quæ te tantopere diſcruciat: verumtamen hoc velim intelligas, in malum hæc tuum non ordinari: abſit enim vt Deus tale quid intendat: nec enim te flagellat vt flagellet, nec compedes tibi inijcit vt illaqueet nec doloribus affligit: incognita namque Deo talis eſt praxis formaque procedendi: *Dominus ignorauit.*

Idem audio à Propheta Iſaia decantari, dum de criminoſo loquitur viro ſub figura chariſſimæ ſibi vineæ, quam plagis pœniſque circumcinxit: *Quis dabit me ſpinam & veprem in prælio? gradiar ſuper eam &c.* An forſitan vepres ego ſum & ſpina, quam lancinare & pungere delectat? numquid natura mea naturam induit veneni, vt ex ea ad tormentum incliner, vitæque detri- Iſa.27.4.

*Tob. 3. 22.* mentum? nequaquam: *Non enim delectaris in perditionibus noſtris*, dixit illa quæ probè Domini callebat conditionem, Sara piiſſima: cur igitur illam cædis, totque illi moleſta grauiaque infligis verbera? *Numquid iuxta plagam percutientis ſe percuſſit eum? aut ſicut occidit interfectos eius, ſic occiſus eſt?* Numquid forſitan Deus inimicus eſt, aut vt talis tecum agit, vt pro libitu ictum infligat, ea ſolum intentione, vt tibi caput aperiat, te feriat, te occidat? *Hoc Dominus ignorauit. In menſura contra menſuram cum abiecta fuerit, iudicabis eam.* Phraſim hanc euolue: *In menſura contra menſuram*: q. d. cum hac & altera menſura, in hoc & hoc pondere metitur & expendit Deus miſſam peccatori calamitatem, vt illum ſibi ſubijciens ſuam poſſit illi impertiri miſericordiam: nullum vidi medicum qui præſcribens medicam potionem, tanto ſtudio appendat non per libras, nec per vncias, ſed per dragmas, per monas per grana & media grana] qualitatem diagridij vt rectè conueniat iacentis infirmitati vel ad illius purgationem, aut etiam remedium.

XIII. Omnia in pondere & menſura Deus ordinat.

XIV. Quænam ſint in Deo cogitationes pacis.

Hanc doctrinam fundare potuit & confirmarevates Hieremias ex eo quod ipſi Deo contigit. Conſiderat illum Propheta quodam die cogitabundum (ſi fas eſt ſic loqui) Domine mi, quid te mali habet? quæ iſta mentis attentio? quid ſic animo ſuſpenſus perpendis? ſcito Propheta, voluere me cogitationes, ſed cogitationes pacis bonique publici, & in populi beneficium: *Ego ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus cogitationes pacis & non afflictionis.* Et quid hoc rei Domine? hoc ipſum eſt, quod tibi ſæpe ſæpius dixi, & nunc iterum repeto. Stat animo decretum, Regem Babyloniæ mittere ſuper Hieruſalem, vt eam obſideat, capiat, euertat, muros diſſipet, templum incendat, ædificia diruat, totumque populum captiuum abducat in Babyloniam, eamque miſeram patiatur ibidem hic ſeruitutem annis ſeptuaginta. Heu Domine mi: hæne ſunt cogitationes pacis, & non afflictionis? illos decreuiſti bellis laceſſere, opes adimere, priuare libertate, ſeruoſque eijcere ad annos vſque ſeptuaginta: & ais: cogitationes cogito pacis, & non afflictionis? nemo me reprehendat: licet enim has illis immittam tribulationes, ſimque ego ille, qui eas diſponat, non tamen erunt afflictionis tribulationes; afflictiones illæ paupertas illa, illa captiuitas, illæ moleſtiæ non ibi ſiſtent ſed vt per eas in ſeipſos reuertantur, ſua peccata corrigant, ad meliorem vitæ frugem emendentur, & certam concipiant de ſua ſalute fiduciam: *Cogito cogitationes pacis & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam:* Chaldæus legit: *Vt dem vobis finem & ſpem ſeu expectationem*: Ita Vatablus: hoc primum intendo, vt finem accipiat peccatum, vt tandem mei meminerint, & ad me conuertantur, à quo poſſunt eximia ſperare beneficia: habes hic, qua ratione in tribulationibus quas peruerſi patiuntur, dicere poſſis, *Non eſt ad mortem* &c.

*Hiere. 29. 11.*

## § 14. Non eſt ad mortem. *Amicis Dei, mala non ſunt ad malum, ſicut nec inimicis bona ad bonum.*

SI hoc ferendum tibi ſit iudicium (inquit D. Ambroſius) in infirmitatibus, & peccatorum aduerſaribus inimicorum Dei quanto potiori iure idem ferendum eſt in amicorum eius ſeruorumque tribulationibus: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Si non ex toto corde omnem humiliat peccatorem; quanto magis eum qui non ex toto peccauit*: Vides iuſtum tribulationibus attritum? ne condemnaueris eum, nec à Deo deſertum credideris, nec caſum fuiſſe arbitreris fortuitum, neue dixeris: ſiccine Deus excipit ſibi ſeruientes? eodem namque caſu, quo amicus eſt Dei de eius licet tibi infirmitate, paupertate, & labore enuntiare: *Non eſt ad mortem*, non eſt ad damnum, ſed pro gloria Dei, atque ad maiorem eius glorificationem: conformiter ſublimi Diui Auguſtini ingenio ſpectare videtur Dominus quod de præclaro narratur Prophet. Elia. Trimulis etiam nota eſt: viduæ Sareptanæ ſanctitas, quæ recepit in domum ſuam, ſeruitque ſedula vati Eliæ eum in publicis nutriens anguſtijs, vt diximus antecedentibus diebus: huic filius in lethalem corruit morbum, ex quo humana deſerunt: ad Eliam cucurrit illa, gemens plorauſque amariſſimè, diceres mare lachrimarum heu Domine mi, filius meus mortuus eſt: Propheta verò ad Deum conuerſus, ſic ait: *Domine Deus etiamne viduam, apud quam vtcumque ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius.* Legit Diuus Auguſtinus, eaque erat ordinaria lectio: *O Domine teſtis huius viduæ, cum qua ego habito, apud ipſam, tu male feciſti, vt occideres filium eius.* Verba ſunt hæc, in quibus multi ceſpitant: videntur enim formalem contra Deum, complecti querimoniam: quaſi illum Propheta arguat vt ingratum, & beneficij accepti immemorem ac proinde rem malam facientem cum tamen ipſa Deo fuiſſet gratiſſima: *Tu male*

41 D. AMBR. *Lib. 1. de pœnit. cit. Tom. 4.*

I. Omnia iuſtis in bonum conuertuntur.

D. AVGV. *L. 2 qu. ad Simpl. q. 5 Tom. 4.*

II. Miratur Elias cur Deus viduæ filiũ interfecerit.

*3. Reg. 17. 20.*

le

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN